gladij plagam quam linguæ leniorem esse, illa enim
corpus, hæc animam lædit, vulnerat, occidit. Le=
nis quidem sermo est, quia leniter transit, sed gravi=
ter urit, leniter penetrat, sed graviter vulnerat,
leniter profertur, sed non leniter revocatur, volat enim
irrevocabile verbum. Et quemadmodum ignis deni=
grat ea, quæ adurit, sic lingua hominum turpi colore
commaculat, totiusque adeo hominis corpus inficit,
mentem, ut sinistra cogitet de proximo, aures, ut
eius preces, et excusationes difficile suscipiat, ocu=
los, ut ipsum ægrè vel torvè aspiciant, os quoque,
innocentiam non defendat, virtutes celet, vitia
pandat, nares, ne ~~illis~~ illius bonæ vitæ, famæque
odore non olfaciant, ne pedes in necessitatibus suc=
currant, subveniant, auxilium præstent. Ista uni=
versum inflamat ~~nostra~~ vitæ nostræ rotam. Alia
vitia certas habent vitæ mensuras, et metas, pe=
tulantia pueritiam, libido iuventutem, ambitio
virilem ætatem, avaritia senectutem occupat,
omniaque tandem cum homine senescunt, ac emoriuntur,
solum linguæ vitium omnem vitam occupat, occupat,

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. f.%20212r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/en/zbz/D0147/f.%20212r)